

Item eodem anno fuit episcopatus Lithomisensis ecclesie de bonis monasterii Aule regie fundatus et erectus.

Item eodem anno ruptus est pons lapideus Pragensis in die sancti Blasii.

Anno Domini 1346. rex Karolus fuit electus in regem Romanorum. Et eodem anno in die sancti Ruffi interfectus est rex Iohannes cecus in Anglia. Item eodem anno fuerunt in regno Bohemie locuste, que singula semina et segetes devastabant per universam terram.

Anno Domini 1347. studium Pragense fuit confirmatum.

Eodem anno rex Karolus cum uxore sua coronatur ad regem Bohemie.

Item eodem anno mortuus est Ludwicus, qui se asseruit regem Romanorum.

Item eodem anno fundata sunt monasteria in nova civitate beate Marie nivis ad Carmelitas et Salvo(censes?)<sup>1)</sup>.

Anno Domini 1348. fundata est nova civitas Pragensis.

Item eodem anno fuit terre motus magnus hora vesperorum in conversione sancti Pauli.

Item eodem anno mortua est Plance.

Item eodem anno copulata fuit Anna Karolo regi in uxorem.

Anno Domini 1349. advenerunt flagellarii in regnum Bohemie.

Item eodem anno allate sunt reliquie imperii.

Anno Domini 1350. fuit annus iubileus primus Rome.

Anno Domini 1351. instituti fuerunt canonici regulares ad sanctum Karolum.

Anno Domini 1353. coronatus fuit Karolus in regem Romanorum.

Anno Domini 1361. natus est Wenceslaus, filius Karoli, in civitate Nurembergensi et ibidem fuit baptizatus.

Anno Domini 1364. nata fuit Elyzabeth imperatrix et regina Bohemie.

Anno Domini 1365. allatum fuit corpus sancti Sigissmundi versus Pragam in vigilia sancti Wenceslai Angnesii<sup>2)</sup>.

Anno Domini 1366. nata fuit Anna, primogenita Karoli, regina Anglie.

Anno 1368. natus est Sigissmundus rex Ungarie.

Anno Domini 1369. natus est dux Iohannes Lusyzensis.

Anno Domini 1370. combusta est civitas Slana cum multo populo in die sancti Pangracii.

Anno Domini 1374. fuit diluvium Prage usque ad limina ecclesie sancti Egidii die dominica ante carnisprivium.

Item eodem anno dominica die Invocavit fuit diluvium

1) So die Abschrift: Es ist das Slavenkloster Emmaus, welches nebst dem Karmeliterkloster 1347. von Karl IV. begründet wurde. Red.

2) Unverständlich! Die Uebertragung geschah von St. Maurien aus. Red.